

& gravitate externa decoretur, ac spectata reddatur,
non respiciendos aut numerandos semper annos cir-
cumspectiores existimarunt, ipso vel Timothei, Juvenis
Episcopi, exemplo suffulti. Ut alios illustres Theolo-
gos praeteream silentio, quibus & in Academia ad
Varinum, & in aliis, ubi de Ecclesia sacrisque studiis
bene mereri inceperunt, honor iste fuit collatus. Hic
est ille *proventus felix*, & velut *messis Dei*, quo ipse in-
terdum se gaudere in Scriptura non dissimulat, si nimi-
rum *crescat numerus Evangelistarum ac Doctorum genuino-*
rum. Ps. LXVIII, 12. Et Facultati quidem nostrae singu-
lari auspicio clementer benedixit, ut non paucis ex
praecipuis Doctoribus Ecclesiae purioris visum fuerit,
hac in parte quoque LUTHERI vestigia terere, ut hic
ornari gradu Theologico cuperent. Numerat enim
inter illos praeter Theologos Wittebergenses, FOER-
STEROS, AVRIFABROS, R VNGIOS, GESNEROS,
FRANZIOS, & sequentes, etiam alios alibi sedem for-
tunae fingentes, MAMPHRASIOS, VOLCMAROS,
CRAMEROS, STANGIOS, SCHLEVPNEROS, STRAV-
CHIOS, LYSEROS, STEGMANNOS, BOTACCOS,
WELLEROS, CASELIOS, OLEARIOS, SCHLEGE-
LIOS, MULLEROS, HIMMELIOS, REHBINDEROS,
SELDIOS, KVHNIOS, GRAVMULLEROS, DURRIOS,
SCHREITEROS, STRAVSSIOS, MEIEROS, multos-
que plures, insignibus in doctrinam purioremerit
conspicuos, atque in orthodoxorum coetu celebratos.
Qui cum dudum coelitum numero inserti sint, mun-
doque huic ac rebus humanis valedixerint, sarcire soli-
tus est Deus jacturam illam subinde novis felicissimis-
que incrementis novorum Doctorum, vestigia veterum
felici cum successu prementium. Atque hoc beneficio
ejus